

est: *Incipit Gregorius super ezechielem*. Homiliae omnes XXII. ut habentur edit. *Maur. Paris. 1705. T. I. col. 1173. f.* cum Praef. ad *Marianum Ep.* Ante Homiliam XIII. haec Rubrica: *Incipit secunda pars (non Liber) omeliarum beati Gregorij &c.* Neque ejus Praefatio ab ipsa Homilia discreta est. Lectio comparata cum Editione *cit.* satis proba est; omisit tamen Librarius primam vocem Praefationis mox dictae *Quoniam*, et in fine Operis, ubi alii legunt *per dolores innumeros*, alii *per dolores et vulnera innumera*, Mauriani vero *per dolores et munera*, habet *per dolores et vulnera et munera*.

II. fol. 106. p. 2. *Incipit Gregorius super cantica*. Ita nempe: *Postquam a Paradisi gaudiis expulsum genus humanum &c.* Abjudicaverat hanc Expositionem a *Gregorio Petr. Guffanvillaeus*, sed luculentis rationibus ei adserta est a *Maurianis T. III. edit. cit. col. 393.* quorum collatione Textum nostrum paucis naevis laborare comperimus. Adscripta est illi fol. 131. continuo Commentatio una in illud *Cant. IV. v. 13. Emissiones tuae paradisi &c.* de tribus emissionibus: *prima coniugatorum penitencium in mundo, secunda conuersorum continencium in claustro, tertia predicatorum qui fructum faciunt in populis &c.* altera de exeuntibus e mundo *per septem dietas*; ista vero evulsis membranis mox abrumpitur. Nihil hae ad *Gregorium*, sed recentioris *Ascetae* sunt.

CCCLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 473
Folior. 295. f. per duas columnas a diversis quidem, sed commode perscriptus, et olim a *Thoma Hasebachio* testamento, ut frons edicit, legatus ad collegium beate marie virginis domus bursa rose apud fratres predicatorum in wyenna completitur sequentia: I. absque divisione in *Libros*, notato tamen *Libri II. Prologo*, et praemisso exiguae opis Indiculo *Homilias XXII. Gregorii M. in Ezechielem Proph.* prout habentur edit. *Maur. T. I. p. 1173. Paris. 1705. f.* Ineunt a Praefatione ad *Marianum*, quem Codex neque sic, neque *Marinianum*, sed *Maximianum* vocat: *Omelias que in beato ezechiele propheta ita ut populo loquebar &c.* et sic satis castigate decurrunt usque ad *Homiliae ult. verba: Sed nobis solerter inquirendum est, qui — —* edit. *cit. p. 1425.* in quibus Librarius, nescio cur, calamum excussit.

II. fol. 143. ad *Henrici nostri de Hassia* Scripta deducimur, et primo quidem ad memorabilem Tractatum de Schismate inter *Urbanum VI. et Clementem VIII.* deque *Vaticiniis* eapropter gliscentibus, praecipue *Theolori*, seu *Telesphori* cujusdam *Eremitae*, qui merito vapulat. *Capitibus* constat XLVII. quorum nobis praeit Elenchus, quem excipit Dicitio: *Reuerendo in christo patri ac Domino Domino B. (Bertholdo de Wechingen ✠ 1410.) frysfingen. Episcopo &c. Olim veteres in populo*

pulo unius dei &c. Edidit Tractatum hunc *Bern. Pezium Theol. Anecd.* T. I. P. 2. col. 507. e Codice Carthusiae *Gemnic.* in quo pro *Bertholdo Frising.* Ep. legebatur *Gregorius Salsburg.* Praepositus; fieri enim potuit, ut Autor Scriptum istud boni publici causa ad plures dimitteret; at, quod ille habebat: *quidam minimus sacrae Theologiae vocatus Professor*, ubi noster: *Aliquis suorum minimus*, potius facit contra impressum Titulum, in quo *Henricus* rotunde dicitur *Ordinis Carthus.* cuius tam parum fuit, quam *Augustiniani*, ut in P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 36. ostensum est, subfragante

clausula coeva Codicis nostri, qua Tractatus adferitur *Compilatus per egregium sacrae Theologiae professorem M. Heinr. de Hassya Anno domini 1392. Tunc Wyenne regentem in Theologia.* Cum porro Tractatus, ut dixi, jam typis excusus proftet, quod addam, non habeo, nisi quod avidis *Jochimi Abbatis* Indagatoribus commendem *Caput XI. et XIV.* et obiter notem, *Capite VIII.* ubi *Henricus* ait: *Cum essem in partibus*, subplendum esse e Cod. nostro *Rheni.* Praeterea Versus defuere *Pezio*, qui ad calcem nostri sic habent:

*Quando finis erit, ignoro, scismatis huius,
Clemens Urbani quo sexti iura recusat.
Tempus, quo cepit, memori dat grammate versus,
Qui praeit, addendo Centum sine sex minus uno.*

Repraesento Versum, qui praeit:

CLemens UrbanI qVo seXtI IVra reCVsat.

Habes MCCLXXXIII. Adde XCV. id est *Centum sine sex minus uno*, et conficies MCCCLXXVIII. annum, quo Schisma coepit.

III. fol. 160. Ejusdem Epistola: *Amicorum syncerissime virtutis et scientie meritis Reuerendo Domino E. (berhardo) de ypelloni (Yppelborn) ecclesie maguntine Decano &c.* De vanitate humanarum Dignitatum, jam *super.* et hoc *Vol.* relata.

IV. fol. 163. p. 2. Alia Ejusdem Epistola. *Re^{do} in christo patri ac domino domino C. &c. Henri-*

cus longensteyn dictus de Hassia in medio regni pestilentie suspirans salutem et spiritum fortitudinis consolantem in aduersis. Audiui et conturbatum est cor meum, a uoce contremuerunt labia mea. Ecce rumor infelix &c. Ex toto Epistolae, quae gravissimis sententiis ad mortis memoriam et faciendum hominis christiani et sacri officium hortatur, contextu patet, consolatoriam esse, ad Episcopum aliquem de Fratris obitu exaratam. Plus neque illa subpeditat, neque est, qui illius meminerit. *Extrema sunt:*

sunt: *assumptus est de medio nationis prae et peruerse, ut habitet in splendoribus sanctorum. Amen.*

V. fol. 169. Ecclesiae Placatus per *πρωτοπρωτουαν* inductus hoc initio: *Restat miserabilis et lugubris ecclesie deploratio &c.* Agi de Schismate Urbani et Clementis, ex iis versus finem adparet: *Vos autem, qui de uniuersali meo capite certatis, parcite tandem lacerate et semimortue &c.* Neque hujus Scripti quisquam meminit.

VI. fol. 170. p. 2. Sermo, ut in calce, ad canonicos regulares. Initium: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Nouistis fratres dilectissimi in domino ihesu regulariter congregati &c.* Tractatum hunc jam Trithemius n. 684. Nostro tribuit, et nos eundem *Vol. super.* plus vice simplici retulimus.

VII. fol. 185. Sermo Ejusdem de s. Trinitate. Init: *Non est similis tui in dijs domine. Scriptum est psalmo 85. Patres et domini reuerendi. Si plebs fidelis alias festiue commemorauit &c.* Sed ad calcem: *Et hoc de isto sermone, finem quere alibi.* Satis inofficose. Meminit ejus Pezius l. cit. e duobus Codd.

VIII. fol. 197. Tractatus, ut iterum in calce, de Verbo incarnato. In Corollaria 21. diuisus incipit: *Quis michi det verbum quo semiuerbius ego aliquid loquar de verbo illo &c.* De Verbo in diuinis inscriptum excitat Pezius e binis Codd. ubi notam anni 1393. praefert.

IX. fol. 203. p. 2. Sermo de sacra eukaristia. Ingressus: *In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Hoc uerbum Gen. 3° capitulo scriptum, quia dictum est ad literam de penalitatibus aede et filiorum eius, ideo primo pertractandum est historice, 2° mystice de sudore passionis christi et pane sacratissime eukaristie eiusdem passionis ineffabili memoriali &c.* Inter alia de neglectu Sacramenti, dum ad infirmos portatur, conqueritur: *Humillime se deferri ab humilibus patitur presbiteris. quandoque nullo comitante, sed solo paupere scolari cum nola paruula et sepe lacerato vexillo precedente, dum interea audito alicujus Principis transitu surgunt de lectis, recedunt de mensis, currunt ad fenestras &c.* Notavit Sermonem hunc Pezius cit. p. 78.

X. fol. 209. Macula beati Bernardi. Ita in calce. Opusculum ab Henrico de Hassia inscribitur: *Reuerendo in christo patri ac Domino Domino Jacobo Abbati Ebribacensi, et incipit: Quidam nuper non lenis querele tumultus mihi tonuit in aures &c.* En illum: *beatum patrem bernardum totum candidum preter peccatoris quandam maculam monacho cuidam apparuisse et confessum esse, se deferre illam, quia maculauit immaculatam asserendo ipsum (Mariam) maculam habuisse originalem. Hanc mendacissime apparencie umbram execrabilem a Gwarrone (Guil. O. M.) quondam Doctore anglicano primitus allegatam quis in diffidencie filios expandit nisi tenebrarum tyrannus huius*

huius seculi &c. Hos igitur nomine *Maculistarum, Maculigerorum, Maronitarum* (potius *Guarronitarum*?) acriter exagitat Noster. Video ferri *Opusculum* titulo: *Contra disceptationes et praedicationes contrarias FF. Mendicantium*, editumque *Mediol. 1480. Basil. 1500.* et curante *Seb. Titione* sive *Brand Argent. 1516.* *Mansius* in *Bibl. Fabricii* annum 1500. et *Jac. Wimphelingium* vult editorem. Sed horum nihil mihi ad manum est.

XI. fol. 230. p. 2. *Informatio*, ut iterum e calce petendum, *Domini alberti ducis austrie de complendo et stabiliendo studio Wien.* Advocatus ab eo *Henricus* noster *Parisis Viennam* adpulit a. 1379. Universitatem vero confirmavit *Urbanus VI.* a. 1384. Cum igitur in *Scripto* praesenti dicatur, *Papam* non confirmaturum Collegium nisi legitime dotatum, tempus scriptionis sic satis liquet. Ad scribendum porro satis autoritatis etiam habuit Noster; teste enim *Hasselbachio* in suo *Austriae Chronico* *Albertus* Collegium *Ducale* de tribus domibus cum *lethoriis* et *habitationibus* per manum praefati *M. Henrici* evexit. Vidit autem studium Principis in opere consummando aliquantum refrigescere, unde stimulus illi graviter et cordate ex rationibus etiam aeternis ingressus admovet. *Illustrissime princeps et domine* magnifice non pigeat generosam nobilitatem semper ad virtutum preconia auidam ad tempus curis exterioribus interruptis audire parum moniti salutaria
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

ris et paulisper apertis interioribus oculis saltem ad modicum tempus attentius pensitare cum salomone sapientissimo, quomodo omnia mundi sint vanitas. &c. Hinc infert, nihil restare Principibus, nisi curam iustitiae, tranquillitatis et ordinis, et opum suarum prudentem dispensationem, et mox: *Quid est ergo, princeps illustrissime, aut quid retardat perfici tam salubriter concepta et magnifice inchoata, duo inter cetera, Collegium videlicet omnium Sanctorum* (e *Sacello Aulico* cum *Praepositura* et *Canonicis* a. 1365. ad *D. Stephani Aedem* traductum) *et Collegium uniuersitatis studentium?* Cur utrumque tam magnum ad gloriam *Dei opus non perficitur?* Itaque facienda suggerit. *Primum est ducalis Collegij completio in aliquibus paracionibus et edificijs que adhuc restant, ut sunt locus bybliotece, institutio debita Capelle et tectorum reformatio ac renouacio, quibus omnino opus est collegio, quod pro maiori parte adhuc ruinosum est, et turpiter pluuiis destruitur.* — *Secundum punctum est reddituum pro eodem Collegio assignatorum uel aliorum sufficientium stabilicio.* — *Tertium punctum est Wienensis policie, de cuius regimine multi mirantur, racionabilis et legitima regulacio.* — *Quartum est efficax ducalium priuilegiorum Magistris et scolaribus et ceteris ad studium pertinentibus concessorum conseruacio.* — *Quintum est, sigilletur sigillis archiepiscopi (Salsb.) et episcopi ordinarij (Passav.) litera priuilegiorum ducalium se-*
Hhh
cun-

cundum eius tenorem plene, et aliorum qui adhuc non sigillauerunt. Et integre sigillata una cum bullis papalibus in archa vniuersitatis in aliquo loco securo ponenda custodiat. — Sextum est ut propter validiorem et efficaciorum correctionem et disciplinationem suppositorum vniuersitatis ex auctoritate potestas iudicialia rectoris fundetur. Atque haec omnia tam opportunis rationibus fulciuntur, ut tota haec Informatio vulgari mereretur, iis addenda, quae de Academia nostra L. II. Commentar. edidit Lambecius et in T. I. Analect. transtulit Kollarus.

XII. fol. 234. p. 2. Sermo bonus de indulgentijs. Ita in calce. In Elencho vero Thecae anteriori Codicis inscripto: Quidam Tractatus. Non igitur ausus Scriba tribuere Henrico de Hassia, cui omnia praecedentia tribuerat. Interim Theod. Petrejus in Bibl. Carthus. p. 131. autor est, Henricum de Hassia nonnulla de Ecclesiae Clauibus ac Indulgentijs commentatum fuisse. Et ille quidem hunc Henricum Augustinianum facit; sed Felix Ossingerus Clero seculari ingenue remittit in Bibl. Augustin. p. 987. Utut sit, Sermo noster, qui incipit: Quodcumque ligaueris super terram &c. Matth. 16. Duos fines ultimos futuros esse in fine seculi describit beatus Augustinus &c. indignus non est Henrico nostro, a quo nunc Codex ad alia transit.

XIII. fol. 248. in margine: Incipit liber sancti Augustini de natura boni. Praemittitur Locus L. II.

Retractat. c. 9. Opusculum ipsum infit: Summum bonum, quo superius non est, deus est. &c. ut edit. Maur. T. VIII. col. 501. f. Integrum.

XIV. fol. 259. p. 2. Triga illa spuria Epistolarum de D. Hieronymo, videlicet Eusebii ad Damasum, Augustini ad Cyrillum, et Cyrilli ad Augustinum. Prima quidem non nisi a Cap. 45. Hec ubi vir sanctissimus continuatis lacrimis &c. Ceterum prout extant in edit. Vallarsii T. XI. col. 314. et a pluribus utroque Vol. relatae sunt.

CCCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 257. Folior. 174. f. per duas columnas currente calamo exaratus, rubricis distinctus, et quondam M. Stephani de Pulka Prouisoris Capelle ad sanctum Hieronimum Wyenne, dein a M. Andrea de Weytra Canonico ad S. Stephanum et Collegii B. V. rubeae rose apud fratres predicatorum Superintendente eidem Collegio legatus complectitur I. Gregorii M. Homilias in Ezechielem Prophetam. Praeit Epistola ad Marianum Ep. prout edit. Maur. Paris. 1705. T. I. col. 1173. f. Omelias quae in beato ezechiele propheta &c. Initium Hom. I. est: Dei omnipotentis aspiracione de Ezechiele propheta locuturus &c. Nulla in Libros diuisione decurrunt Homiliae XXII. lectione fat proba. Ad calcem ἀδελφότητος adiecta est visio Columbae Gregorio adspirantis, prout habetur apud Paulum Diac. in ejus Vita c. 28. edit. su-
prac.